dacione martirii de usu bellandi. In quo exercitatur quisque in prelio, et per audaciam cer
tamen aggreditur, et per timorem cunctatione movetur. Item accipe exemplum mar
tirii de reparatione humani corporis ad salutem. Dum quisque et de spe reparatio
nis gaudet et de incisionibus seu amarissimis poculis meret.

De miraculis sanctorum.

25 Et si apostolis virtus data est signorum propter fidem gentium nutriendam, ecclesie
tamen data est virtus operum propter eandem fidem ornandam. Et tamen in ipsis apostolis plus erat
mirabilis virtus operum quam virtus signorum. Ita nunc et in ecclesia plus est bene vivere quam
signa facere. Quod nunc ecclesia non ea miracula faciat que sub apostolis faciebat, hec cau
sa est quia tunc oportebat mundum miraculis credere; nunc vero iam credentem oportet
bonis operibus coruscare. Nam ideo tunc signa fiebant exterius, ut interius fides robor
aretur. Iam in fide miracula quicumque requirit, vanam gloriam ut laudetur querit. Scrip
tum est enim: lingue in signum sunt non fidelibus sed infidelibus. Ecce signum non est fide
libus necessarium qui iam crediderunt, sed infidelibus ut convertantur. Nam Paulus
pro non credentium infidelitate patrem Publii de infirmitate febrium orationibus
curat; infirmitatem autem Timotheum fidelem non oratione sed medicinali temperat,
ut noveris miracula pro incredulis fieri. Antequam antichristus appareat virtu
tes ab ecclesia et signa cessabunt, quatenus eam quasi abiectiorem persequantur au
dacius. Ob hanc utilitatem cessabunt sub antichristo ab ecclesia miracula et virtutes, ut per
hec sanctorum clareat paciencia, et reproborum qui scandalizabuntur levitas ostendantur,
et persequentium audacia ferocior efficiatur.

De antichristo et eius signis.

26 Omnis qui secundum professionis sue normam aut non vivit aut aliter do
cet antichristus est. Plerique autem ante antichristi tempora non visuri sunt et tamen in membris
antichristi inveniendi sunt. Antequam veniat antichristus, eius multa membra processer
unt et prave actionis merito caput suum pervenerunt, secundum apostoli sententiam qui iam
iniquitatis misterium operari illum affirmat. Etiam antequam revelet magnitu
do signorum faciet sub antichristo, ut electi si fieri potest in errore titubationis
admodicum per multitudinem prodigiorum. Non tamen deiciendi sunt ab stabilitate sua
terrorum impulsu atque signorum. Unde ideo ponitur si fieri potest, quia electi perire non
possunt, sed cito resipiscentes cordis errorem religione choercebunt. Sci

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]